

Franckesche Stiftungen zu Halle

Adami Rechenbergi[i] Svmmarivm Historiae Ecclesiasticae

Rechenberg, Adam

Vitembergae, MDCCLXVII

VD18 12484725

Sectio I

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:gbv:ha55-1-213274](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:ha55-1-213274)

metarii descriptum fuit. Ex illis ergo pro instituti mei ratione, potiora hic tantum annotabo, nouo ob rerum copiam narrationis ordine usus: Hoc est, uniuersam huius seculi historiam secundum temporum certa interualla, in *Sectiones nonas sex*, dispescam, ut discantium memoriae quodammodo consulatur.



PERIODI V

SECTIO I

§. I

In *prima Sectione*, statum Ecclesiae, qualis ab initio huius aevi, usque ad annum XVII, quo *Lutherus* Reformationis opus aggressus est, paucis delineabo.


§. 2. Ac quod *SCRIPTORES* primum attinet, qui hoc tempore claruerunt, omnes recensere, aut eorum etiam opera annotare, compendii nostri ratio non permittit. Igitur praecipuos saltem nominasse sufficiat. Hos inter clariores sunt, *Iohannes Reuchlinus*, siue *Capnio*, patria Phorzensis, gente Germanus; *Iohannes Trithemius*, Germanus, primum Spanheimensis deinde Herbipolensis Abbas; *Albertus Cranzius*, Hamburgensis Canonicus; *Iohannes Ludouicus Vives*, Hispanus; *Baptista Mantuanus*, Italus, Monachus eruditus; *Iohannes Auentinus*, Boius, seu Bauarus; *Iacobus Clichtoueus*, Neoportunensis; *Guil. Budaeus*, Galliae literatae decus; *Desiderius Erasmus Roterodamus*, princeps eruditorum huius seculi; *Petrus Galatinus*, ex Iudaeo Christianus in Hispania factus; *Franciscus Ximenius*, Cifnerensis Hispanus; *Thomas de Vio*, a patria Caietanus appellatus; *Thomas Morus*, Angliae Cancell-

cella-

cellarius; *Martinus Lutherus*, Islebiensis Saxo; *Petrus Mosellanus*, *Beatus Rhenanus*, *Iacobus Wimphelingus*, *Longolius*, *Simon Grynaeus*, *Io. Langius*, Westphalus; *Bilibaldus Pirckheimerus*, Germanus, et alii. Conf. *CHYTRAEVM Chron. Saxon. Lib. III, fol. 48, seq.* *HOTTING. Histor. Eccl. Secul. XVI, Sect. III, et* *SCVLTEI Annal. Euangel. pag. 2, 3 et 4.*

§. 3. *DOCTRINA*, quae seculis Christianismi antiquissimis ab ipso Christo eiusque discipulis tradita, atque ab illorum sectatoribus in Ecclesia asserta primum fuerat, plusquam Cimmeriis tenebris inuoluta mireque contraminata erat post *Constantini M. Imperatoris* aetatem: ut pauci admodum superfuerint, qui uerbum coeleste rite tractarent, aut uiam ad *DEVM*, quam Christus monstrauebat, insisterent. Tanta quippe barbaries regnare coeperat, ut Abbas *Neubursani* monasterii, in *Vangionibus* dixerit: Wenn Luther nicht kommen wäre, sie hätten die Leute überreden wollen, daß sie Heu gefressen hätten. Idem de quodam Canonico Herbipolensi *MELCH. ADAMI in Vit. Theol. pag. 845*, memorat. Qui tum Ecclesiae praeerant Pontifices, *Alexander VI, Iulius II, et Leo X*, foedae libidini, luxuriae et sceleribus dediti, religionis curam abiecerunt; quippe quae illis ludus aut pro fabula erat. Conf. *BYDAEI Librum V, p. m. 642*, et *RICHERIVM Lib. IV Hist. Concil. General. Part. II, p. 29*. In Concilio *Lateranensi*, quo de emendatione Ecclesiae agi debebat, conclusum demum fuit animas hominum esse immortales, nec de *Aduentu Anti-Christi* amplius disputandum esse. Vid. *FRANCISCI A CARIOLANO Summ. Conc. f. 902*.

§. 4. In hoc igitur corruptissimo Ecclesiae statu, non tam haeresis quam superstitiosus Epicureismus nata.



notatur: Nisi uelis haeresin dicere, quod *Iulius II*, Papa, in Concilio Lateranensi Pisanorum Cardinalium institutum, de reformanda Ecclesia, *haeresin extinguendam* pronunciauit. Vid. *RICHERII Hist. cit. Lib. IV, part. II, p. 59*. Quatuor tamen haeresiarcharum Ordinis Praedicatorum, Bernae in Heluetia combustorum historiam memorabilem *HOTTINGERVS Hist. Eccl. Sec. XVI, Sect. III, pag. 334, seqq.* memorat.

§. 5. *CONCILIA* autem imperante *Maximiliano I* duo ad emendandum Ecclesiae statum indicta, unum *Pisanum*, alterum *Lateranense* uocatur.

§. 6. Quod *Pisanum* attinet, autores illius fuere *Maximilianus I*, Imperator, et *Ludouicus XII*, Rex Galliae. Imperator enim princeps optimus cum flagitia et dedecora cleri detestaretur, ex officio, Pontificem et Clericos in ordinem redigere laborauit, et collectis anno MDX centum grauaminibus aduersus curiam Romanam, cum Rege Gallae de Concilio Pisano, pro necessitate et utilitate Reipublicae Christianae contra *Iulium II*, Papam, consilia agitauit. Ideo in *Insabria*, cum Cardinalibus congregatis deliberatione habita, tum nomine Imperatoris et Regis Galliae, tum nomine Cardinalium, Cal. Sept. MDXI *Pisis* Synodus congregata fuit. Papa uero *Iulius II* animaduertens, eo suae maxime auctoritati derogari, *Maximilianum* a Gallo abstraxit, effecitque, ut is cum *Ferdinando*, Catholico, Rege Hispaniae, omnem istius Synodi auctoritatem aboleret. Vid. *P. BEMBI Hist. Lib. XII, pag. 507*, et *GOLDAST, Const. Imp. Tom. III, fol. 484*. Quo facto, Pontifex Regem Galliae sibi obnitentem diris deuouit. Vid. *P. SVAVIS Hist. Concil. Trid. Lib. I, p. 4*. Enimuero is contraria obnuntiatione diras reuicit, cuso etiam nummo aureo, qui titulos Regum Fran-

ciae

ciae regnique Neapolitani cum effigie sua ex una parte referebat cum elogio: *Perdam Babylonis nomen*, memorante THVANO *Lib. I Hist. initio*. Sed *Philippus Decius*, Ictus Mediolanensis, Pisanum Concilium defendit, apud RICHERIVM *Lib. IV Hist. Concil. Gener. p. 167, seqq.*

§. 7. Papa tamen ne promissi, intra biennium Synodi generalis habendae, immemor uideretur, an MDXII Concilium in Laterano indixit novum. In quo, ut diximus, missa emendandae Ecclesiae cura, decretum fuit, *animas esse immortales, et de aduentu Anti-Christi non amplius esse disputandum*. Hoc Maximilianus I, et Rex Galliae ob certos respectus civiles, in gratiam Pontificis tandem approbarunt, Etsi Episcopi tandem Italia, curiae Romanae asseclae, ad illud conuenissent. *Et haec est illa*, inquit RICHERIVS iam laudatus, *eximia et tantopere Christianis nationibus, a ducentis annis exoptata reformatio, uel, ut uerius dicam, abusuum curiae Romanae incrustatio et inuolutio*. Conf. HOTTING. *Hist. Eccl. Secul. XVI, Sect. III, p. 908, seqq.*

§. 8. Eo adhuc durante, Iulius II, Pontifex militaris dictus, die 21 Febr. anno MDXIII uiuis excefferat; in cuius locum Iohannes Medicæus, qui nomen Leonis X assumpsit, surrogatus fuit. Qui continuatò illo Concilio, in *Sess. XI*, anno MDXVI, Synodi Constantiensis et Basileensis decreta atque Sanctionem Pragmaticam abrogauit. Verum Academia Parisiensis hac de causa a Leone ad Concilium prouocauit. Vbi dignum id notatu uidetur, quod, dum hoc Concilium, quo summa iterum potestas Papalis asserta fuit, anno MDXVII, mense Martio finiretur; Cal. Nouembr. eiusdem anni, Lutherus diuinis auspiciis sanctum Reformationis opus exorsus sit. Id quod Iohannes Hilten, Mona-

Monachus Franciscanus, anno antecedente praedixerat, initium fore inclinantis Papatus. *Melanchton* uidisse se enarrationem Danielis, manu *Hiltneri*, et in ea uaticinium hoc scriptum, refert in altero *Epistolarum Libro*, p. 81. Conf. *Apolog. August. Confession*, pag. 126, 276, cum quo etiam supra recitata *Hussi* et *Hieronymi Praagensis*, cum martyrium subirent, praedictio congruit.

§. 9. Multi haec rerum tempestate, reslorescentibus imprimis meliorum literarum studiis, deprehenderunt, se in tenebris uersari, foedamque barbariem haecenus Religionem Christianam obscurasse et obruisse. Vnde illis taedium mouerunt inania caeremoniarum, ac ad friuolam potius subtilitatem, quam solidam pietatem adornata Theologiae vulgaris scita. Superstitiones quoque, quae monachorum uulgiue animi irreti fuerant, doctioribus et piis sensim innotescabant. Mores itidem sacri ordinis a summo ad imum, non minus exosi quam despecti, auctoritatem cleri iam imminuerant; dum Episcoporum multi negotiis aularum impliciti, multi per ignauiam, luxum et uenationem, infulam prostituissent sacram: et *Alexandri VI*, *Iulii II*, qui nuper Pontificatum gesserat, memoria ob libidines, auaritiam et morum insolentiam, plerisque detestabilis fuit. Nec meliorem se praebebat *Leo X*, infandae Veneris masculae infamis; etsi bonas literas et literatos foueret, ac ideo ab his etiam laudatus fuerit. Conf. *HOTTING. Hist. Eccl. Sec. XVI, Part. I, Sect. III*, pag. 538, seqq. et pag. 644, seqq. et *Part. II, cap. 1*. Talis cum esset Ecclesiae facies, iam prope erat, ut DEI benignitate, superstitioni et tyrannidi Papali modus aliquis aut finis poneretur. Cum enim lateres duplicantur, uenit *Moses*. *Moses* autem Germaniae fuit *Lutherus*.

Resbenb. H. E.

X

PERIO-